

5. Per omnem vitam nostram beneficium hoc Christi gratis animis celebremus, & ad eius exemplum, fortiter, auxilio Dei implorato, contra Diabolum, peccatum, propriam carnem, & mortem dimicemus.

## C O N C I O VII.

*DE PRODITIONE, ET CAPTURA CHRISTI, ET pugna Petri, ex textu Matth. 26. à v. 47. ad 55. Marc. 14. à v. 43. ad 48. Luc. 22. à v. 47. ad 52. &c.*

**V**erba prælecta tria continent. 1. Proditionem, & capturam Christi. 2. Pugnam Petri. 3. Breuem sermonem Christi. 1. ad Iudam proditorem. 2. Ad Petrum intempestiuum magistri sui propugnatorem.

In prima parte exaggerandæ sunt hæ circumstantiæ: 1. Proditur Christus a Iuda, magister a discipulo. 2. Proditur a *συναίτη* commensali suo. 3. Proditur ab electo Apostolo. 4. Proditur dolo. 5. Proditur osculo, sub specie amicitiae.

Capitur autem Christus, a Iuda sic traditus, in horto, capitur ab armata manu, conducta a Sacerdotibus & Scribis.

Secunda particula facilis est. Petrus verbis, & promissis suis satisfactorius, a Christo nec discedere, nec eum innocentem ita ab hostibus constringi, & tractari vult, itaque mucrone stricto, defensionem parat, & dubio ictu in agmen hostium irruens, feruum Pontificis feriit, auriculamque eius dextram, præscidit.

Concio Christi ad Iudam brevis est, in qua 1. *Amicum* eum vocat. Volebat enim videri amicus, & sub osculo amicitiae signo proditionem suam tegere. Sed & propterea durius eum non compellat, ne vel discipulos contra eum irritet, vel inuitus pati, aut passionem detrectare velle videretur. 2. Quærit causam aduentus eius, nõ quod ignoret eam, (clare enim prædixerat de ea discipulis: *Surgite, ecce appropinquavit, qui me prodit*) sed vt conscientiam proditoris vellicet. q. d. tegere vis proditionem, sed